

tioni sacramenti. Contrariatur autem susceptioni sacramenti, qui non assumit illud cum dispositione ad effectum, ad quem per se, et ex ratione formali et specifica est institutum; alias enim contemnitur sacramentum; et ita cum tali dispositione non est aptus quis ad effectum suscipiendum, qui susceptioni sacramenti non est idoneus; et ideo non sufficit attritio cognita, quia contrariatur susceptioni sacramenti.

XCI. Ad tertium inconveniens negatur etiam sequela, quia sacramentum non habet duplicem essentiam aut causalitatem, aliam secundum genus, et aliam secundum speciem, sed unicam secundum speciem suam; licet si dispositio ex parte subjecti non sit, ut secundum ultimam differentiam agat, possit agere et producere saltem quod ex genere potest, et dispositio ipsa sufficiens est; sicut sol producit pleraque conformiter ad dispositionem suscipientium, licet ex vi actionis aliud intenderet. Et cum Sacramentum operetur juxta dispositionem subjecti, si unica dispositio datur, unicus etiam effectus consequetur: unde si quis accedit cum contritione ad sacramentum, recipiet juxta modum ipsius, et si quis accedat cum attritione, recipiet juxta modum ejus, et non amplius; non enim duæ causalitates sunt ex parte generis et ex parte speciei, sed quod dicimus est, quod si aliquando contingat dispositionem non esse idoneam ad specificam rationem, ex generica habebit aliquid producere. Unde si quis cum attritione accedat, recipiet primam gratiam attritioni correspondenti; ea vero suscepta, non recipiat aliam, quia ea quam suscepit, non est dispositio ad susceptionem talis sacramenti, sed effectus ejus; et ideo non suscipiet ultra aliud augmentum, nisi

ultra disponatur ad susceptionem ejus.

XCII. Quod vero additur de motu intensionis, dicimus quod ille quando producit substantiam qualitatis, etiam et perfectionem producit, si in subjecto non sit contraria dispositio, quia tunc agit secundum totam virtutem: si autem sit, verbi gratia, resistentia B in subjecto, et applicatur agens ut B, et dimidium, producet solum dimidium qualitatis oppositæ, non autem B. Et similiter si in suscipiente sacramentum non sit contraria dispositio, recipiet augmentum; si autem solum sit dispositio ad recipiendam primam gratiam, non vero sit dispositio, cui commensuretur augmentum, non producet, quia non potest a sacramento augeri gratia, si subjectum nondum habebat illam, sed tunc primo ex susceptione sacramenti incipit habere.

XCIII. Sexto arguitur: In naturalibus potentia quæ ordinatur ad augendam quantitatem, non potest primam quantitatem causare: ergo neque in supernaturalibus sacramentum quod ordinatur ad causandam secundam gratiam, poterit primam producere; præsertim cum hæc sufficiat ad salvanda loca Concilii, imo et Scripturæ, in quibus justificari dicitur etiam is qui auget gratiam. Et similiter S. Thomas infra quæstione LXXII, articulo VII, loquens de confirmatione, et postmodum de eucharistia, dicit quod solum causant per se augmentum gratiæ.

XCIV. Confirmatur: Differentia est extra rationem generis; ergo impossibile est quod idem prædicatum per se conveniat ratione generica, et ratione specifica: sed baptismo et pœnitentiæ convenit per se ratione specifica causare primam gratiam: ergo non potest convenire per se ratione generica.

XCV. Respondetur esse longe diversam rationem in quantitate et in gratia, nam quantitas est naturalis passio corporis: unde quantum ad primam sui productionem debet cum substantia ipsa corporea produci. At vero augmentum quantitatis non est ejus passio, unde potest produci diversa actione; hæc autem non potest ipsam attingere ut passionem propriam, et ideo non potest ipsam primo producere. Gratia autem, et aliæ qualitates quæ non sunt passionibus, ab eadem actione a qua intendi et perfici possunt, etiam primo et quoad substantiam produci possunt. Et licet testimonia Scripturæ et Concilii possint explicari de augmento gratiæ, tamen quia universaliter tribuere videntur sacramentis productionem gratiæ quoad substantiam, et de novo producendam, ideo consequenter docere videntur, convenire illis producere primam gratiam, si in subjecto non inveniunt, nec etiam contrariam dispositionem gratiæ, aut susceptioni et applicationi sacramenti.

XCVI. Ad confirmationem respondetur, quod idem prædicatum non potest convenire sub eadem ratione formali ex ratione generica et specifica; bene tamen stat, quod prædicatum, quod sub tali ratione formali convenit rationi specificæ, idem materialiter sub alia formali ratione possit aliquando attingi a genere; sicut ratio alterationis specificæ attingit qualitatem de novo, ut per motum acquiritur de non esse ad esse; eandemque attingere potest ratio generica alterationis in intensione. Sic etiam baptismo et pœnitentiæ convenit per se ex ratione formali specifica causare primam gratiam, et remissionem peccati; nihil tamen repugnat quod ratio generica sacramenti, quæ habet producere substantiam gratiæ, illam

attingat in aliis sacramentis, non tamen sub eadem ratione formali, qua baptismus et pœnitentia, scilicet, nec ut regenerantem, nec ut sanantem, nec ut tollentem peccatum præcise, sed ut producens substantiam gratiæ in subjecto non contrarie disposito.

DUBIUM TERTIUM.

QUÆ DISPOSITIO SIT NECESSARIA AD ACCEDENDUM AD SACRAMENTUM?

Conclusio est affirmativa.

XCVII. In sacramentis mortuorum pro adultis sufficit attritio de peccatis, actualis, vel virtualis; in sacramentis vivorum non exigitur aliqua actualis vel virtualis dispositio, sed sufficit habitualis, id est, gratia; si vero ista desit, requiritur per se contritio: et loquimur de effectu sacramenti, qui est gratia.

XCVIII. Pro intelligentia hujus conclusionis supponendum est, duo esse certa in hac parte. Primum et fundamentale est, quod sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter gratiam conferunt. Sic Tridentinum sess. VII, can. VI; ratio vero est ex institutione et promissione Christi infallibili sacramentis facta, quæ frustrari non potest. Et cum promissio ista sit ad dandam gratiam, ut patet in sacramentorum institutione, quæ habetur in multis locis Scripturæ, immutabilis semper perseverat talis promissio, et causalitas ex illa secuta.

XCIX. Et deinde, quia sacramenta sunt instituta ut signa practica gratiæ, non solum practica in significando, sed etiam ut virtutem habentia ex passione Christi: ergo necesse est ut ex se sint semper infallibiles causæ, et signa gratiæ; alias si ex se hanc infallibilitatem non habe-

rent, in illis conficiendis et ministrandis nulla esset certitudo.

C. Ex hoc vero fundamento sequitur secundum, quod etiam certum est, scilicet, respectu infantium non habere locum conclusionem positam, sed sine aliqua dispositione ipsorum conferri illis effectum sacramentorum, quorum sunt capaces. Ratio est, quia ipsi nunquam possunt obicem ponere, cum non habeant actum voluntatis proprium; peccatum vero originale non debet proprio actu retractari, sicut nec proprio actu contrahitur, et ideo ad illud expellendum non requiritur dispositio aliqua ex parte suscipientium.

CI. Similiter nec procedit quæstio de adulto habente solum peccatum originale (si hoc est possibile, apud S. Thomam enim pro impossibili reputatur) nam supposita contraria opinione, sicut peccatum originale non contrahitur per proprium actum, ita nec debet per proprium actum expelli: et ideo tunc non requiretur dispositio contra peccatum, sed solum voluntas suscipiendi baptismum, et actus fidei, quo accedens ad Deum credat quia est, etc. unde et dicitur Marci ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, etc.* quia hi actus positive requiruntur in ordine ad terminum ad quem tenditur: respectu vero termini a quo receditur, requiritur contritio, vel attritio respectu peccatorum priorum.

CII. Et quando dicimus, non ponentibus obicem conferri effectum sacramenti; per ly obicem, possumus intelligere duo, unum est respectu ipsius susceptionis sacramenti; alterum respectu effectus sacramentalis. Respectu effectus sacramentalis obex est peccatum non detestatum, nec actualiter, nec virtualiter; non detestatum, inquam, ex motivo supernaturali; detestari enim ex motivo naturali,

non est dispositio respectu formæ supernaturalis, cum sit ordinis inferioris. Respectu susceptionis sacramenti obex est scienter accedere sine ea dispositione, quam per se requirit sacramentum, hoc enim est deordinate se habere, et contrarie ad ipsum sacramentum, si quidem suscipitur totum hoc sacramentum, et non eo modo quo petit specifica ratio sacramenti. Quod si scienter quis non accedat, practice et moraliter non accedit contrarius, nec susceptioni ejus deordinatus, si bona fide id faciat, et ita non habet obicem susceptioni; respectu autem effectus sacramenti obicem tunc non habebit, si quidem sacramentum, si non secundam gratiam possit physice causare, causabit primam.

CIII. Difficultatis ergo punctus est de adultis habentibus peccatum mortale, respectu susceptionis sacramenti mortuorum, aut non habentibus respectu susceptionis sacramenti vivorum. Et sic dicimus, quod ad primi generis sacramenta requiritur actualis, vel virtualis dispositio, et detestatio peccati, saltem quæ sit attritio: ad secundi autem generis sacramenta non requiritur actualis vel virtualis dispositio, sed sufficit habitualis. Et prima pars probatur: Quod enim requiratur aliquis dolor vel detestatio peccati patet, quia homo per peccatum fuit aversus a Deo per actualem conversionem ad creaturam: ergo oportet quod recedat ab ista conversione, et ita detestetur peccatum, alias enim justus esse non potest, nec vere dicitur converti et immutari ejus voluntas, nisi id ad quod prius conversus est, repellat; quod est peccatum.

CIV. Quod autem attritio sufficiat patet, quia sacramenta ista per se, et ex vi operis operati habent ordinari ad remissionem peccati, et

acquisitionem primæ gratiæ: ergo per se et ex opere operato habent illam subjecto dare: ergo per se non requirunt dispositionem, quæ sit contritio. Patet consequentia, quia contritio semper est conjuncta cum gratia et charitate: ergo si per se requirunt dispositionem conjunctam cum gratia, per se requirunt gratiam in subjecto, et consequenter non possunt ex opere operato conferre primam gratiam, sed semper secundam, si quidem semper per se supponunt gratiam in subjecto. Unde et Tridentinum sess. XIV, c. IV, definit: « Quod quamvis attritio sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorum nequeat, tamen eum ad gratiam Dei in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. » Igitur secundum mentem Concilii attritio sufficiens est dispositio ad impetrandam gratiam Dei in sacramento, atque adeo ut homo justificetur.

CV. Quod vero virtualis sufficiat, et non requiratur actualis patet, quia sæpe contingit hominem in ipso actu sacramenti naturaliter et inculpabiliter diverti, et tamen cum accedebat ad sacramentum, dispositum fuisse; tunc autem non est privandus fructu sacramenti, cum ipse ex tali inculpabili inadvertentia non posuerit obicem; et sicut virtualis attentio et intentio sufficit ad ministranda et suscipienda sacramenta, cur non et virtualis dispositio, quæ moraliter censetur permanere? Alias enim scrupuli multi animabus injiciuntur, si actu non habeant dispositionem, cum suscipitur sacramentum; nec enim requiritur physica existentia, sed moralis et virtualis.

CVI. Secunda vero pars probatur, quoniam sacramenta vivorum conferunt secundam gratiam ex opere operato, ubi non est obex; sed in

illo qui habet habitum gratiæ non est obex ad hoc ut conferatur secunda gratia, seu augmentum gratiæ, si quidem secundæ gratiæ non contrariatur nisi peccatum mortale; ergo eo ipso quod habet quis habitum gratiæ, non repugnat ex opere operato sibi dari secundam gratiam. Ex quo sequitur, quod cum peccatum veniale dicat habitualementer conversionem in Deum, quia videlicet negative respicit finem ultimum, quia non destruit illum, nec contrariatur illi, ideo etiam stante peccato veniali non datur obex ad augmentum gratiæ: et ita suscipiet illam qui sic accedit; quod et S. Thomas dicit infra, quæst. LXXIX, art. VIII, loquens de eucharistia; et eadem est ratio de aliis sacramentis vivorum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

CVII. Sed objicies primo: Homo adultus negative se habens, id est, neque volens, neque nolens suscipere sacramentum, non ponit obicem, quia non resistit sacramenti susceptioni, et tamen non recipit gratiam: ergo falso dicitur quod non ponentibus obicem gratia datur.

CVIII. Respondetur illum qui nec volens nec nolens suscipit sacramentum, obicem ponere sacramento, et susceptioni ejus, quia non modo humano et voluntario illud suscipit, si quidem nec virtualiter nec actualiter habet voluntatem suscipiendi, imo simpliciter dicitur nolens, quia respectu eorum, quæ homo disponere debet de se, simpliciter censetur nolens, quando nec actu nec virtute illud vult.

SI CONTRITIO SIT ULTIMA DISPOSITIO AD GRATIAM, PHYSICA, VEL MORALIS.

CIX. Secundo objicies ad probandum nullam requiri dispositionem ex parte adulti suscipientis: Nam homo per sacramentum justificatur gratis, et ex opere operato: ergo non requiritur ad hoc dispositio nostra. Patet consequentia, nam quod datur ratione dispositionis, non datur mere gratis, si quidem aliquale jus, seu commensurationem habet cum gratia. Item sequitur, quod esset aliquis causa suæ justificationis, quod est omnino falsum. Et sequela patet; tum, quia per dispositionem movet se libere ad illam, et sic est causa illius; id enim ad quod libere quis se movet, causat, nec ut instrumentum solum se habet; tum, quia dispositio est vere et proprie causa formæ, quæ introducitur, saltem in genere causæ materialis; et sic homo se disponens, vere et proprie esset causa suæ justificationis, ut patet etiam exemplo hominis generantis; dicitur enim homo vere et proprie causa filii, quamvis formam (id est, animam rationalem) non producat, sed solum dispositionem ultimam attingat: ergo similiter dicetur causa justificationis, licet formam justificationis non attingat, sed dispositionem ultimam.

CX. Confirmatur, quia forma non potest conservari sine dispositione, quæ ad ejus introductionem requiritur, ut patet in naturalibus; sed sine dispositione et motu liberi arbitrii potest gratia conservari in homine: ergo non requiritur talis dispositio ad ejus introductionem.

CXI. Respondetur justificationem nostram gratis fieri a Deo, et si fiat cum dispositione nostra. Primo quidem, quia gratis justificari, exclu-

dit meritum et rationem debiti, non autem comparisonem et dispositionem ex parte nostra. Per illam autem dispositionem non meretur quis suam justificationem, quia non habet principium meriti. Quod autem datur ratione dispositionis, tamquam meriti, inducit jus, quia supponit principium talis meriti; quod autem datur ratione dispositionis, non tamquam ratione meriti, sed ratione dispositionis, nullum inducit jus, sicut qui destinaret dare eleemosynam illis qui habitant in tali domo aut conventu, habitatio domus non induceret jus, etsi dispositio esset ad habendam gratis eleemosynam.

CXII. Secundo: Dicitur gratis quis justificari, etiam supposita dispositione, quia dispositio ipsa, et præparatio etiam a Deo est, licet nos illius cooperatores simus. Unde et septuagintia: *Præparatur voluntas a Domino*, Prov. VIII, juxta et iterum: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini; Deus est enim qui operatur in vobis velle et perficere*, Phil. II; ergo et dispositio ipsa et præparatio a Deo est; et sic gratis omnis justificatio datur.

CXIII. Tertio, quia ut dicit S. Thomas quæst. XXVIII de veritate, art. I ad octavum: « Remissio peccatorum dicitur justificatio ex parte termini, vel finis: dicitur etiam miseratio ex parte principii, in quantum est opus divinæ misericordiæ: quamvis et in remissione peccatorum aliqua justitia servetur, secundum quod omnes viæ Domini sunt misericordia et veritas; præcipue quidem ex parte Dei, in quantum remittendo peccata facit, quod Deum decet, aliquo etiam modo, sed non sufficienter apparet justitia ex parte ejus, cui peccatum remittitur, in quantum in eo aliqua dispositio ad gratiam invenitur, sed insufficientis. » Hæc D. Thomas.

CXIV. Ex quibus verbis clare colligitur, dispositionem illam non inducere justitiam in ordine ad Deum, habere tamen quamdam similitudinem et adumbrationem justitiæ, quatenus aliquo modo per dispositionem accedit ad justitiam, etsi insufficienter; et ideo simpliciter sit gratis justificatio, secundum quid autem et insufficienter et adumbrate ex justitia, quod non est inconveniens; ut videlicet sic inveniatur in omnibus viis Domini misericordia et veritas.

CXV. Ad secundum inconveniens negatur sequela; homo enim non dicitur se justificare, aut causare suam justificationem, cum justificare importet efficientiam; homo autem nullam efficientiam habet in suam justitiam. Unde licet per liberum arbitrium se moveat ad justitiam, et efficienter ipsam dispositionem producat, et non ut inanime instrumentum se habeat, tamen neque pervenit ad introductionem ipsius formæ, quæ est gratia; neque dispositiones istæ ullam habent efficientiam in unionem formæ cum subjecto, aut illam debitam efficiunt. Unde homo per motum liberi arbitrii solum est cooperator ad præparationem suæ justificationis, non autem est causa illius efficienter. Quod autem sit causa dispositiva secundum dispositiones non inducentes debitum, non est inconveniens; hoc enim non est causare suam justificationem, sed suam dispositionem ad justificationem.

CXVI. Ex quo patet ad secundam probationem, quod causa dispositiva est causa quidem formæ, sed veluti materialis; et si dispositio sit insufficientis, erit valde remota; quod non est inconveniens concedere homini respectu gratiæ, cum non sit inconveniens concedere in homini dispositionem ad gratiam, non facientem sibi debitam gratiam, sed solum præparantem, ut ex miseri-

cordia Dei detur; cum præsertim hæc ipsa materialis dispositio a Deo sit, ideoque gratuita.

CXVII. Ad exemplum vero de anima rationali dicitur, quod homo generans introducit dispositiones, quæ attingunt unionem animæ ad corpus physice, et faciunt naturaliter debitam intentionem animæ ad corpus; dispositiones autem ad gratiam, neque attingunt unionem gratiæ ad animam, neque illam debitam faciunt; et ideo introducens illas non dicitur introducere gratiam, sicut qui generat hominem. Unde et dispositiones istæ moraliter tantum, non physice causant gratiam dispositive. Secundo dicitur, quod cum ipsa dispositio ad gratiam sit ex auxilio Dei gratuito, ideo totum attribuitur Deo; non autem ipsi homini, qui secundum superiorem virtutem gratis sibi communicatam se disponit; quod non contingit in generatione hominis.

CXVIII. Sed instabis: Qui habet contritionem habet dispositionem ultimam ad gratiam, et omnino illi commensuratam et æqualem: ergo non est insufficientis dispositio, nec indebitam reddit gratiam, sed omnino debitam, cum sit dispositio ei proportionata.

CXIX. Respondetur contritionem ut consideratur formata gratia, sed ipsam antecedens quadam prioritate naturæ, non esse respectu gratiæ dispositionem ultimam, quasi connaturalem, sed ex misericordia et favore Dei. De omni enim dispositione, qua homo se disponit ad gratiam, dicit S. Thomas in verbis relatis: « Quod est insufficientis, et non fundans justitiam simpliciter in ordine ad Deum. » Signum ergo est contritionem non esse ultimam dispositionem connaturalem, sed ex favore et misericordia Dei, illa supposita, infundi gratiam; ipsaque ut formata gratia, et fundata in chari-